

§. VII. HALBERSTADII principatus, vti Magdeburgico is ducatus vicinus est; sic ab eodem, siue regionis fertilitatem; siue incolarum naturam respicias, non adeo multum differt. (\*)

Cedit tamen utrobique aliquo spatio rebus Magdeburgicis. Plus absunt incolae eius a cultura. Habet e praestantissimo cereuisiae genere non spernendos redditus: inprimis quod Brunsvicensium Hercyniae is vicinus sit, ubi pro numerata pecunia fruges omnes venduntur. Hohenstein & Reinstein Comitatus eidem parent, quorum rationes supra habuimus. Quedlenburgum nouissime accessit; ubi magna frugum; ligni; lanae; Des Korn, Brandtenweins commercia sunt: quae ciues reddiderunt admodum opulentos. (\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)

§. VIII. MINDENSIS (\*\*\*\*\*) principatus & comitatus RAVENSBERGENSIS vicinae inuicem regiones sunt, neque etiam vtriusque magna diuersitas. Habet

(\*) Quibus nunc adde salinas Ascherslebienses ad inuidiam & decrementum vsque Halensium salinarum ab an. 1702. excultas. Olim an. 1549. Ascherslebiam ciuitatem cum salinis Batenstedensibus inaugurauit episcopus, de quo plenius Schoppius thes. feud. cap. 2. sect. 3. p. 218. 219. Sed nunc salinae sunt desertae; Quod pretium salis non respondeat ligni & operarum impensis.

(\*\*) De Halberstadiensi principatu Barones de Haim monasterio Carthusiano, Cunradsburg; & Ascherslebiensis auctus coenobio S. Annae inaugurati sunt (a).

(a) Schoppius id exponit sect. 8. cap. 1. p. 142. thes. feud. dicitque, illa bona fuisse de mensa episcopi.

(\*\*\*) Leges Halberstadienses non habent (a), quam Romanas, quoniam interdicti sunt iure Saxonico (b).

(a) Habent tamen codicillum curialem, eine Canzley Ordnung. Sed fere nihil ibi definitum, quam forensis modus procedendi.

(b) Interim plurimae iuris Saxonici reliquiae seruantur consuetudine. Hanc vero probare tenetur ille, qui illis nititur, ad eamque prouocat.

Incolae durae ceruicis, & moribus subrusticis.

(\*\*\*\*) Anno clō lo cc deliberatum de regimine Halberstadiensi addendo Magdeburgico tribunali. Sed res caruit successu.

(\*\*\*\*\*) Mindensis pragmatica sanctio inter electorem & ordines Mindenses condita est an. 1650. vbi pleraeque controversiae sunt definitae.